



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

15 An accusationem debeat praecedere secreta correctio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

non tempus praecessit, praesumendus est delinquens correctus, nisi aliunde constet reincedentia: ita expressit Ioan. Sanch. disp. 11. de delictis. §. 2. loquens de denunciatione sollicitationis factae a confessorio, & affirmat cum Aconca tract. de confessor. sollicitationibus, q. 2. num. 15. ad tribunal inquisitionis non esse deferendum, quando longum tempus praecessit a commisso delicto. Et explicans statim quid censetur longum tempus, affirmat tres annos sufficere ad emendationem praesumendam in criminolo, ex Mascard. concl. 600. numero 14. Alciat. reg. 2. praesumpt. 7. Farinac. in praxi, quest. 21. artic. num. 26. & dec. 52. num. 10. lib. 1. ubi agit de suspecto de hareth, qui abiuravit; teneat eandem sententiam, & adducit hos Doctores Seraphinus Frustas in addit. ad Aconeam, questione 3. num. 32. & 33.

Secundus casus, in quo cessat denunciationis iudicis obligatio, est quando delictum duobus, vel tribus tantum est notum, & iudex ad penam procedere intendit: tunc enim non est manifestandum: ita cum Corduba in sum. quest. 64. p. 2. tenet Navarra lib. 2. de restitut. cap. 4. dub. 10. num. 99. in 2. edit. Navarra cap. inter verba concl. 6. n. 21. & in rub. de iudicis num. 87. & alius relatis Lessius de iustit. lib. 2. cap. 2. dub. 18. concl. 2. in 109. 2. edit. Quod intelligendum est cum iudicibus Doctoribus de delictis, quae in damnum tertij non vergunt: de his enim absque infamia non iuste procedit iudex inquirendo, quia infamia est, quae inquisitioni aperit viam, ex capite qualiter & quando el. 2. de accusat. & dato quod ipse iudex iuste procederet, adhuc tunc iuste procederet: quia ratio boni communis non exigit punitionem delinquentis, quotiesque a populo delictum sciatur, & delinquens infamatus sit: ita alius relatis Lessius lib. 2. de iustit. cap. 30. dub. 6. num. 47. secunda edit. Si vero delicta in damnum tertij sint, nec quae emendata teneris vt dictum est, denunciare iudicis, si alia correctio, vel denunciatio paterna non appareat sufficiens.

Tertius casus excusans a denunciatione facienda, est, si sub secreto delictum accepisti, quia tibi ratione petendi consilium, vel remedium est manifestatum: tunc enim etiam procedente infamia, semiplena probatione, non teneris delictum, imo nec potes manifestare, & peccare non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, & ad restitutionem damnorum teneris, ita docere videtur D. Thom. 1. 2. questio 10. artic. ad 2. Cordub. in sum. questio 64. casu 3. & lib. 9. questio 43. dub. 2. pag. 346. col. 1. Navarra cap. 25. numero 41. & 46. casu 7. & cap. 18. numero 52. & numero 60. Petrus Navarra alius relatis, lib. 2. de restit. cap. 4. numero 102. 2. edit. Eman. Saa, cum aliis verbo iudicialis actus. §. 7. §. 1. numero 6. Lessius lib. 2. de iust. cap. 30. dub. 6. numero 45. Ratio, quia etiam bonum commune exposituler delinquentem infamatum puniri, non tamen expositula vt iuret ad punitionem, qui sub secreto, & occasione remedij cognovit: accretur enim miserij a consilio, vel remedio petendo. Vnde in nostra Societate, vbi quilibet potest defectus aliorum Praelato deferre, vt patri, ad maiorem delinquentis profectum. Excipitur hic casus, in quo sub secreto gratia petendi consilium accepisti, vt expressè habetur decreto 54. congregat. 6. & can. 10. illius congregat. §. 2. & q. 10. artic. 5. tom. 2. de relig. lib. 20. c. 7. n. 23.

Haec tamen doctrina vera est de delictis, quae in damnum tertij non vergunt, nam si huius conditionis sint & damnum imminuat reipublicae, vel tertio, teneris, si ipse non desistit manifestare, quantumvis sub secreto accepisti, modo non sit sub sigillo confessionis, dignus est enim vt tibi frangatur fides etiam iurata, ob reparationem damni reipublicae, vel tertij innocentis sic Eman. Saa, Navarra, Lessius supra, & innumeris, vt solet, allegatis, Tho. Sanch. l. 3. de matr. disp. 23. art. num. 6. Ex qua doctrina explicat Navarra, Iulium Clarum lib. 5. sentent. §. fin. quest. 27. & Socin. lib. 4. cons. 102. asserentes non teneri quamvis ex praecipuo superstitio, manifestare rem furtiuum, si habeat ab ipso fure, & non aliunde: intelligitur, enim quando fur desistit, & restituit, quia tunc non ad emendationem, sed ad punitionem procederet iudex.

Quartus casus est, quando quis rem alienam accepit in recompensationem sui debiti, modo debitum sit ex iustitia, & liquidum, & alia ad sint circumstantiae honestantes compensationem, de quibus in materia de restitut. tunc enim neque teneris de re, nec de alio debitum manifestare, etiam si iuramento, & excommunicatione praecipiaris, ita relato Corduba q. 64. casu 4. & q. 111. ad finem Syassi, & 63. Vbi loquitur de exhibenda scriptura in tuum damnum. Navarra cap. 17. n. 114. Med. Cod. de restit. q. 1. casu 12. & q. 11. docet Petr. de Navarra lib. 2. de restit. cap. 4. n. 109. in 2. edit. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 30. dub. 6. n. 50. secunda edit. Tho. Sanch. lib. 3. de matr. disp. 13. in casa simili, n. 3. Eman. Saa censura, numero 3. Ratio, quia excommunicatio fertur tibi ob sursum manifestandum, & in tali casu nullum fuit commissum, si quidem non alienum, sed proprium accepit. Ergo excommunicatio, & praecipium ad illum non extenditur.

Sed quid si mandatis reuelare acceptum ab alio, etiam si scias in recompensationem accepisse, qualiter solet mandari ab auditoribus Romanae curiae ob vitandas fraudes, quae spe contingunt accipiendo in recompensationem, quod nullo modo debitum erat? Angel. verbo fursum, & Navarra, cap. 17. n. 124. & cap. 25. n. 4. abiolore docent neque in hoc casu scientes reuelare, tunc ex eius reuelatione, multae molestiae recompensantibus tibi

debita oriantur. Quod intelligendum est, quando tibi constare in recompensationem legitimum accepisse, nam si dubitas, an iuste alius fecerit recompensationem, debes, nisi dubium deponas, manifestare, quia praecipuum est clarum, & ratio excusans dubia, ac proinde possidet praecipuum, ita Petr. de Navarra lib. 2. de restitutio. cap. 4. num. 206. in 2. edit.

7 Quintus casus est, quando cogendus es probare, quod denuncias, cum te vera non posses, vel aliud detrimentum tibi ex denunciatione veniret: cum graui enim detrimento non teneris damnum alteri impendens impedire, nisi forte esset damnum commune, quod extra denunciationem esset impediendum: tunc enim teneris aliquid damnum pati vt euitaretur: secus e contra, ita cum Corduba, & Navarro, tenet Petr. de Navarra supra n. 107. Eman. Saa verbo iudicialis actus n. 3. Couarru. tract. q. 18. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 30. dub. 6. n. 50. §. sexto in 2. edit. & in cala simili Thomas Sanchez libro 3. de matrimonio, disp. 23. num. 4.

8 Sextus casus est, si iubeas denunciare crimen, quotunc modo scias, non debes denunciare, si a fide dignis non accepisti, vel si non recordaris, a quo accepisti. Noteris enim leuitatis, & proximo damnum sine vlla utilitate inferres, & forte sine fundamento: ita relato Corduba docet Navarra lib. 2. cap. 4. dub. 10. num. 108. 2. edit. Lessius supra §. septimo. Thom. Sanchi concl. 2. num. 7.

PUNCTUM XVI.

An accusationem debeat praecedere secreta correctio.

- 1 Negatur a pluribus praemittendam esse secretam correctionem necessitatem.
- 2 Oppositum affirmatur ab aliis.
- 3 Media procedunt via qui dicunt non esse praemittendam correctionem ex iustitia, bene tamen ex charitate.
- 4 Probabilius est non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam esse accusare delictum, quod esse probari possit, non laborat infamia.
- 5 Quoties a iure datur facultas accusandi non est peccatum contra charitatem accusare.

Plures Doctores negant praemittendam esse correctionem secretam accusationi, Nam accusans non tam intendit emendationem delinquentis, quam punitionem delicti commisi, & satisfactionem offensae factae tertio, vel reipublicae. Non ergo adstringitur corrigere, cum correctio ad emendationem tendat. Deinde committens delictum coram aliis, reipublicam offendit: habet ergo quilibet ex reipublica ius cum accusandi, vt damnum quod per peccatum reipublica accepit, per punitionem delinquentis reparetur: per peccatum enim incitati fuerant homines ad similia peccanda, debent ergo detereri, & coerceri per punitionem ipsius: sic docuit Adrian. in 4. de correct. fraterna. col. 17. de f. ad. 2. Sotus de regendo secreto memb. 2. q. 1. Navarra cap. 18. num. 10. Cordub. de detract. q. 2. concl. 4. & quest. 3. concl. 4. & Scoto in 4. disp. 15. & Driedo de libert. Christiana. lib. 2. cap. 10. & colligitur ex cap. qualiter & quando 2. de accusat. vbi dicitur: Accusationem legitimam debet praecedere inscriptio, & denunciationem charitativa monitio. Solum ergo ad denunciationem, & non ad accusationem secreta correctio est praemittenda.

2. Alij Doctores per oppositum affirmant praemittendam esse monitionem, si emendatio fratris ex illa speratur, ita Dur. in 4. disp. 19. q. 4. ad. 1. Syluest. verbo accusatio. q. 3. Caiet. 2. 2. q. 33. art. 7. Lorca, lib. 1. art. 8. disp. 47. n. 27. & fauere videtur D. Thom. art. 7. cum vtramque opinionem retulerit, & nullam improbauerit. Ac solum ad 3. insinuat a contrario sensu, cum delictum non est famosum, habere locum verba Christi, Matth. 18. Ratio huius sententiae est, quia charitas id videtur exigere.

3. Media via alij Doctores procedunt. Affirmant namque non esse praemittendam correctionem ex iustitia, quando delictum est probabile, esse tamen praemittendam ex charitate, si fiat intelligitur emendandus priuatis monitis: ita Lessius lib. 2. de iustit. cap. 30. dub. 2. Navarra. l. 2. de restit. c. 4. dub. 13. n. 130. & 131. in 2. edit.

4. Dicendum tamen in hac re existimo: & quilibet ex illis sententis sit satis probabilis, at mihi probabilis est non solum esse contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, delictum accusare, quod esse probari possit, infamia non laborat Ratio est, quia infamia aperit viam iudici ad punitionem, Ergo tibi etiam ad accusandum. Ergo vsque sit infamia, clausa tibi est porta accusationis. Excipit nisi contra tertium directum: tunc enim accusatio, quia non ad punitionem tantum, sed ad correctionem ordinatur, institui potest eo ipso quo possis probare, vt latius in disp. de accusat. Deinde punitio publica est ad reparationem iniuriae factae reipublicae, vel alicui tertio. Peccata autem, quae a iudice non sunt contra reipublicam, vel tertium, non censentur reipublicae, vel tertio iniuriam facere. Ergo non est circa illa punitio publica quaerenda;

DE SECRETIS ALIENIS

Secundo dico, quoties à iure tibi datur facultas accusandi, non peccas contra charitatem etsi accuses non enim iustitia aduersus charitatem esse potest. Vnde etsi videatur contra charitatem esse delinquentem accusare, quem correctione secreta emendare poteris, at vere non est contra charitatem, cum ipse se delinquentem huiusmodi damno exposuit, & bono communi, quod per accusationem intenditur, sufficienter compensatur. Adde, manifestatio secreti delicti de se non est contra charitatem, quatenus charitas est virtus specialis, sed est contra iustitiam. Ergo si secludamus à tali manifestatione peccatum iniustitiae, & peccatum contra charitatem demus secludere. Denique si contra charitatem esset accusatio delicti, quod potest correctione secreta praecaveri, esset contra praecipuum Domini latum, Matth. 18. at ibi non loquitur Christus de accusatione, sed de denunciatione Evangelica, quae potius ad correctionem, quam ad punitionem procedit. Ergo.

PUNCTUM XVI.

Vtrum iudex teneatur repellere denunciationem sibi factam de delicto, eo quod illius secreta correctio non praecesserit.

- 1 Proponitur ratio dubitandi.
- 2 *Loca sentit obligatum esse iudicem, si commode potest, denunciationem repellere. At si denunciatus persistit, admittere debere denunciationem.*
- 3 *Teneatur iudex denunciationem admittere, tamen si denunciatus non probauerit denunciationem praecessisse.*
- 4 *Satisfit rationi dubitanti, n. 1. adducta.*

Ratio dubitandi desumitur ex cap. qualiter, & quando 2. de accusat. ibi enim dicitur denunciationem debere praecedere charitativam monitionem, iuxta textum Evangelicum: ubi primo corrigendus est frater secretis, deinde adhibendi sunt testes, postea si illos non audierit, dicendum esse Ecclesiae. Ergo omittens hos actus aduersus ius diuinum, Naturale, & Canonicum, denunciat. Ergo repellenda est eius denunciatio ut illicita, & contra charitatem, & iustitiam. Ergo non potest iudex illam admittere alias fauebit peccato denunciantis. Confirmo in *supradicto cap.* eodem modo dicitur debere charitativam monitionem praecedere denunciationem, quo inscriptio accusationem, & clamorosa insinuatio inquisitionem, sed sine inscriptione accusatio nulla est, & sine clamorosa insinuatione nulla inquisitio. Ergo nulla erit denunciatio sine charitativa monitione. Confirmo secundo, ex doctrina Baldi in leg. 1. ff. de libor. & posthum. formam datam à lege, vel statuto non debere omitti, & ex tex. notandum in *leg. magis puto §. penult. ff. de rebus eorum.* Sed monitio secreta videtur tradi à Christo Domino pro forma, antequam denunciatio Ecclesiae fiat. Ergo est nulla denunciatio monitione omissa, & ita videtur tenere Felin. in *cap. novit. de iudiciis col. penult.*

2 In hac quaestione loca 2. 2. quaest. 33. art. 8. disp. 47. num. 29. affirmat iudicem obligatum esse in quantum commode possit impedire denunciationem taliter factam. At si denunciatus non vult desistere, posse illam admittere, etsi requiratur eius officium, tenet admittere. Prima pars probatur ratione dubitandi. Secunda ex eo quod denunciatio iniudicia non habet dependentiam à secreta correctione, neque iure naturae, neque diuino, neque canonico, cum nullibi ob eius omissionem irrita reddatur. Non in iure canonico (de quo poterat esse dubium.) Nam in *cap. qualiter & quando dicitur,* denunciationem debere praecedere secretam monitionem, sicut accusationem libellus: sed non dicitur debere praecedere eodem ordine necessitatis, alias deberet constare semper, cum denunciatio fit praecise, secretam correctionem testelque fuisse inductos: quod est contra praxim. Quapropter *cap. licet Helii de simonia,* cum Abbas Pomposianus ad summum Pontificem de claus esse ob varia crimina, & ipse opposuisset secretum non fuisse correctum, & delatores restarentur correxisse: Pontifex nihil de hoc puncto curauit, sed ad causae decisionem processit. Verum est processisse ex officio ob clamorofam de delictis insinuationem, ac proinde non videtur huiusmodi res adaequate probate denunciationem valere omitta correctione.

3 Quapropter cenleo dicendum teneri iudicem denunciationem admittere, etsi denunciatus non probauerit monitionem praecessisse, quod mihi persuadet vltus iudicum nihil de monitione interrogantium. Fateor tamen ipsum denunciante non praemissa correctione, cum deberet praemittere, peccare, & iniustitiam facere, at valide denunciare. Quia aliud est esse iniustam denunciationem, aliud esse validam. Verum si iudici aliquo modo constaret monitionem secretam non fuisse praemissam, casu quo esset praemittenda, quod difficile constare potest, iustitiam denunciationem omnino esse repellendam à iudicio, utpote iniustam, & contra praecipuum Dominici tradit expressè Glossa in *cap. cum dilectus, 2. de accusat. per text. ibi* si confiteri praefatum Episcopum de iam dictis excessibus non fuisse praemonitum ab eodem,

à denunciatione repellatis eisdem *cap. qualiter eodem titulo. licet Helii de simonia Suar. tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 2. fin. num. 15. Valen. disp. 3. quaest. 10. p. 5. §. postet. etiam pag. 682. & 683.* Alфонсус de Villaguri. in *sum. pract. l. 2. tit. de denunciat. Euangel. cap. 9. concl. 4. pag. 10. q. 9. & pag. 11. concl. 3.* addit debere iudicem antequam denunciationem admittere, interrogare denunciante an praemiserit secretam correctionem, testelque induxerit, quod si ita fecerit non probauerit, causamque omissionis legitimam non allegauerit, omnino esse repellendum. Sed quod diximus verius est ob vltum receptum.

4 Ad rationem dubitandi patet ex dictis: mandatur enim ille ordo correctionis secretae praemissi denunciationi, ut licita, & iusta denunciatio fiat, non ut valida, cum non possit denunciatio iustitiam dependere à monitione secreta, quae eo ipso, quo secretè fit, non potest de illa constare.



DISPUTATIO IV.

De odio, invidia, discordia, schismate, aliisque charitati contrariis.

Sicut charitas plures actus habet tam internos, quam externos, de quibus in superio ribus dictum est, sic etiam habet plura vitia sibi contraria, scilicet odium Dei, & proximi, inuidiam, acritiam, discordiam, contentionem, schismam, iram, seditionem, bellum, & scandalum, de omnibus his hac disputatione agemus. Solùm de scandalo, quia materia latior est, in sequentem disputationem referuamus.

PUNCTUM I.

De odio Dei, & proximi, quid sit, & quale peccatum.

- 1 *Odium est charitati contrarium, & est duplex, abominatio, & inimicitia.*
- 2 *Proponuntur quadam obiectiones, & sic illis satis.*
- 3 *Quodcumque ex iis obis circa Deum est mortale, neque fieri potest veniale ex leuitate materia.*
- 4 *Circa proximum aliquando esse potest veniale.*
- 5 *Odium proximi differt specie ab odio Dei.*
- 6 *In odio proximi qui censent non esse plures actus specit distinctos.*
- 7 *Probabilis est oppositum.*
- 8 *Quae ratio odium proximi ab ira, & indignatione, appropinquat vindictae distinguitur.*
- 9 *Enumerantur plures casus, in quibus licitum est proximo velle malum.*
- 10 *An optare mortem, vel de illa gaudere ob hereditatem habendam licet, proponitur negans sententia.*
- 11 *Contrarium ut probabile defenditur, si cum dubio fiat motu ratione.*
- 12 *Satisfit contrario fundam. n. 10. adducto.*

Odium charitati oppositum est, velle alicui malum, quod malum illius est. Dupliciter concipitur, primo abominatio, do ipsam personam tanquam tibi contrariam, & desiderando, ut non sit, & hic actus est odium abominatiois. Secundo, desiderando illi aliquid malum ex *supradicta* abominatio, quod vocatur odium inimicitiae. Sic omnes Doctores in discussis referendi Vtrumque odium veritari posse circa Deum, & circa proximum de fide est. Circa proximum veritatur, si ob malum, quod in ipso residet, vel ob iniuriam tibi illatam aduerseris, velique illum perimere, aut aliquid aliud malum illi euenire. Circa Deum veritatur, non quatenus in se est, quia ut sic nihil mali habere potest, sed quatenus te punie, tibi que difficulta imperat: ob has enim rationes potes illum aduersari, & quantum in te est velle, ut non sit.

2 Quod si obiecias. Nullus potest velle alteri malum, nisi illud malum sibi esse bonum apprehendat. At in aduersione Dei, eiusque inimicitia nulla ratio boni esse potest. Ergo. Respondo nullam rationem boni esse, apprehendi tamen, & existima aliquid sufficere, ut possit Deus odio haberi à non videntibus ipsum. At illi qui Deum clarè vident, cum videant obiectum summè diligibile, nequeunt illum odio habere: sic D. Thom. 2. 2. *quaestione 34. art. 1.* & ibi, Cateranus, Valen. *disputatione 3. quaestione 11. p. 1. in fin.*

Si in te, Secundo, qui alterum odit, & aduersatur, est ob aliquid malum in eo existens: ar in Deo nullum malum esse potest. Ergo non est capax odij, & aduersionis? Respondo non tempore esse necessarium ad odium, vt malum existat in periona, quae odio habetur, sufficit, si malum aliquid causet. Quapropter est